



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

79. Rvfvvs grauia peccata exponit apud Confessarium ignotum: leuia apud Ordinarium, vt constanter bonus huic appareat, idque per se absque confessionis invaliditate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

prudenter putetur nunquam revelandum: pō-
stea nullum est periculum peccati, cū bonā
fide utrinque contrahatur; & licet filij reipsā
illegitimi nascantur, tamen pro legitimis ubi-
que habebuntur, utpote suscepti bonā coniu-
gum fide, & ex matrimonio in facie Ecclesie
contracto: demū nulla fit iniuria Sacramē-
to, cū ibi non sit Sacramentum.

*Atque ex his patet ad rationes in contrarium
allatas, quæ totæ stant pro prima parte respon-
sionis. Solū obstat contra eandem, quod
impedimentum absque testibus nō possit suf-
ficienter probari. At nemo tenetur deferre,
quod sufficienter probare non potest. Verū
etsi testimonium unius tantū non satis sit,
ut matrimonium dissoluatur ex cap. licet de
testibus: at bene, ut id ipsum impediatur, ex
cap. super eo, de testibus; & licet non suffice-
ret, aperit tamen viam saltē Ordinario ad in-
quirendum & retrahendum contrahentes à
matrimonio vel monendo vel terrendo &c.*

*LXXIX. Rufus frequenter in gravia labi-
tur peccata, quæ tamen apud Confessarium ordina-
rium eluere erubescit, ne existimationis bonæ de-
trimentū patiatur. Ut ergo constanter huic bonus
appareat, prius apud ignotum Confessarium maiora
quæque scelera deponit, & tunc primū ad ordi-
narium redit, & de peccatillis quibusdam reum se
sistit. Queritur. Vtrum secunda hæc Confessio Rufi
apud ordinarium sit valida?*

Videtur

Videtur non esse. Ita Victoria de Confess. n. 196. & inclinatur Sylvest. V. Confessio 1. q. 6. quia Rufus hypocrisin & mendacium committit mortale, ideoque dolore requisito & proposito destituitur.

Resp. Confessionem alteram Rufi per se esse validam. Ita Suarez, Coninck, Henriquez, Lugo D. 16. de pœnit. n. 57. & alij communiter. Ratio est, quia hoc neque est hypocrisis; velle enim conseruare bonam famam apud Confessarium ordinarium, aut nullam, aut non grauem inordinationem continet; neque mendacium; quippe verissimum est à parte rei, cuius se accusat pœnitens: neque denique est contra integritatem Confessionis, cum vtraque verè sit integra. Dixi per se. Nam aliud esset, si Rufus hâc ratione maneret in mortali occasione peccandi, aut idèò circumiret, vt liberius peccaret, tunc enim grauitè delinqueret, & ob defectum attritionis Confessio foret nulla, vt rectè aduertunt Auctores citati.

LXXX. Rutilius Mercatoris filius in domo paterna multum patri suâ lucratur industria, alijs fratribus interea otiosis, vel ad studia incumbentibus. Quare arbitratur ille licitū sibi esse, aliquam pecunie quantitatem clam patre sublegere, quam in ludos, potationes &c. insumat. Quæritur. Si quid Rutilius in domo paterna lucretur, non principaliter ex arte vel industria sua, sed ex rebus & bonis